



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. III. De Muneribus Datis Pruthenis ad placandam saevitiam eorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CHRONICLE PRUSSIÆ.

Hermannus de Salzea IV. Magister Ordinis Teutonici.

31

tu ipsos seqvi non poterat, eam occiderunt, rapientes etiam infantes de brachiis matrum, infigendo in fudes sepium interficerunt. Sicqve terram adeò vastaverunt, qvod de omnibus munitionibus & castris Ducatus sui non remansit ei, nisi unum Castrum situm super fluvium Wifele, qvod Ploczke dicebatur. Insuper CCL. Ecclesiæ Parochiales præter monasteria regulorum & secularium Clericorum, (a) capellas, Cænobia monachorum, & claustra sanctimonialium incendio destruxerunt. Sacerdotes & alios Clericos tam religiosos quam seculares, qvosdam extra septa Ecclesiæ alios intra plures in altari dum sacrosancta corporis & sanguinis Domini nostri JEsu Christi traherent mysteria trucidantes, ipsa Sacra menta in contemptum Dei irreverenter in terram projicientes, pedibus conculcabant, Calices, ampullas & alia vasa Ecclesiæ corporalia vestesqve sacras ad divinum cultum dedicata deferentes ad illicitos usus pertrahabant. Cum virginibus Deo dicatis de claustris suis violenter extractis impudicè sua ludibria exercentes, & ut breviter concludam nullus sufficeret ad plenum scribere, qvanta mala & facta detestabilia fidei & fidelibus irrogarunt.

ANIMA DVERSIO.

(a) I.e. *scacella*. Capella autem barbaris illis seculis dicebatur *ædicula* sacra, à pellibus caprarum, qvibus tegi solebat.

CAP. III.

de

Muneribus Datis Pruthenis ad placandam savitiam eorum.

A Nteqnam dicta terra Poloniæ sic penitus destrueretur, cùm adhuc aliquod residuum superesset, idem Dux in tantum co-
actus

actus ab eis & angustiatus fuit, qvod quotiescumqve dicti Prutheni nuncios suos tritterent ad eum pro eqvis & vestibus boni coloris, non audebat aliquiter denegare, sed cum non haberet, unde satisficeret eis, vocavit ad convivium suum Nobiles & alios & uxores eorum, & dum sederent laeti in mensa comedentes & bibentes, jussit secretè vestes & eqvos ipsorum prænominationis infidelium nunciis praesentari. Nec hoc profuit quicquam, nec potuit eorum saevitiam mitigare, qvin destruerent dictam terram, ut superius est præmissum.

CAP. IV.

De

Fratribus Ordinis Militum.

Cum itaqve prædictus Dux videret terram suam sic miserabiliter deficere, nec eam posset aliquiter defensare, de consilio fratris Christiani Episcopi Pruschiæ & qvorundam Nobilium pro tuitione terræ suæ (a) instituit fratres milites Christi appellatos cum albo pallio, rubro gladio & stella, qvi tunc in partibus Livoniæ fuerant, & multas terras infidelium potenter subjugaverant fidei Christianæ, & Episcopus prædictus qvendam virum discretum Brunnonem dictum & cum eo XIII. alios ad dictum Ordinem investivit. Hoc facto idem Dux ipsis fratribus ædificavit castrum dictum Dobrin, de quo ipsi postea fratres de Dobrin fuerant appellati, deditqve ipsis allodium seu prædium in terra Cujaviæ, qvod fuit Cedelicze nuncupatum. Convenerunt ipse Dux & fratres sub his pactis, qvod ipsis æqualiter dividerent inter se terram infidelium, qvam possent sibi, cooperante Domino, imposterum subjugare. Qvod cum Prutheni percepissent provocati amplius, cum copiosâ mul-